Q. D. B. V. 3

DISSERTATIO JURIDICA
continens
POSITIONES MISCELLANEAS
EX
MATERIA DONATIONUM,

QVAS

PRÆSIDE

VIRO *Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Conſultiſſimo,*
atque Excellentiſſimo,

DN. JOHANNE HENRICO FELTZIO,

U. J. D. Pandectarum & Juris Canonici Profeſſore Publico Ordinario, Capit. Thomani Canonico,

SOLENNI Diſquiſitioni ſiſtit
ad Diem XIII. *Decembris An. M DCC XIX.*

JACOBUS ANTONIUS BONNEAU, Metenſis.

ARGENTINÆ,
LITERIS JOHANNIS PASTORII.

Digitized by Google

POSITIONES MISCELLANEÆ
Ex
MATERIA DONATIONUM.

Positio I.

Donatio poteſt fieri vel pacto, vel contractu, vel traditione ipſa.

II.

Donatio recte dividitur in donationem inter vivos, & donationem mortis cauſa, quarum prior regulariter eſt irrevocabilis, poſterior vero revocabilis uſque ad mortem.

Digitized by Google

III.

Donatio mortis cauſa differt à Legato, tum in eo, quod donatio mortis cauſa requirat acceptationem, legatum non item; tum in eo, quod legata dependeant ab hereditatis aditione, donatio mortis cauſa non æque.

IV.

Ad donationem mortis cauſa non ſufficit, ut mortis aliqua fiat mentio, ſed requiritur, ut diſponatur in caſum mortis.

V.

Poteſt quis in agone mortis conſtitutus, donare inter vivos, etiamſi mortis propinquæ intuitu donet, & ſe donare declaret.

VI.

In dubio potius præſumendum eſt, donationem inter vivos factam eſſe, quam donationem mortis cauſa.

VII.

Digitized by Google

VII.

Si quis donet mortis cauſa, adjecta clauſula irrevocabilitatis, tum negotium tranſit quoad effectum in donationem inter vivos.

VIIJ.

Donatio mortis cauſa inſinuatione opus non habet; habet autem donatio inter vivos, ſi excedat quingentos ſolidos.

IX.

Dos aliquo modo poteſt referri ad donationem; non eſt tamen ſemper merus actus liberalitatis, cum pater regulariter teneatur dotare filiam.

X.

Donatio propter nuptias dicitur doti æquiparata; ſed multæ tamen inter utramque occurrunt differentiæ.

XI.

Donatio inofficioſa non æque venit reſcindenda, ac teſtamentum inofficioſum.

Digitized by Google

XII.

Ex donatione pacto tantum facta jure Romano veteri non dabatur actio; datur autem hodie condictio ex *l. 35. C. de don.*

XIII.

Donatio inter conjuges Jure Romano eſt prohibita; nec male.

XIV.

Donatio Morgengabæ ſeu matutinalis in Jure quidem Romano fundamentum non habet, uſu tamen recepta eſt.

XV.

Supervenientia liberorum juſtam præbet cauſam revocandi donationem Jure Civili; non item Jure Canonico.

XVI.

Liberorum nomine hic veniunt legitimati, non item adoptivi.

XVII.

Si donatio ſemel ob ſupervenientiam libe-

liberorum ſit revocata, manet revocata, etiamſi liberi poſtea moriantur.

XVIII.

Pater poteſt beneficio revocandæ donationis propter ſupervenientiam liberorum renunciare, ita, ut poſtea revocare nequeat.

XIX.

Hoc tamen non obſtat, quo minus liberi poſtea poſſint querelam inofficioſæ donationis inſtituere.

XX.

In donationibus Principum rei donatæ dominium abſque ulla traditione tranſit in donatarium.

XXI.

Donatio revocari poteſt etiam ex cauſis non ſpecialiter à Juſtiniano recenſitis, modo ad aliquod cauſarum genus poſſint referri.

XXII.

Digitized by Google

XXII.

Filiusfamilias licet teſtamentum condere non poſſit, poteſt tamen mortis cauſa donare.

XXIII.

Pupillus regulariter donare nequit; imo ne tutor quidem nomine pupilli.

XXIV.

In accipienda autem donatione pupillus autoritate tutoris opus non habet.

XXV.

Nec opus habet in acceptando Legato, cum & legatum ſit donatio quædam.

FINIS.

VA1 1520890

Digitized by Google